


BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich


XVI

3020





B



*Dong Professa frae S. S ad S. Bartholom*

2.

# INCLYTO QVIRI TIVM REGI FERDINANDO IN diuæ coniugis Annæ obitu, Petri Royzij Maurei Hispani Celtiberi Iurisconsulti EPITHAPHIA.



¶ GAVDENDVM In morte.

Si qui homines infans adit, hic flet, ut editur; ergo  
Gaudeat ad superos qui redit ille deos.



Illa ego sum, mihi quæ mortalia cuncta subegi;

Mors iucunda bonis, sed metuenda malis.

Stultus, qui seris olim me expectat in annis:

Qui cito venturam me putat: ille sapit.

INCLYTQ VIRITIVM REGIFER  
dīnando in diuæ coniugis Annæ obitu, Petri Royzij  
Maurei Hispani Celtiberi Iurisconsulti  
Epithaphia.

M Vltorum Regina parens pulcherrima Regum  
Occidit Anna graui functa puerperio.  
Anna tui consors thalami, Rex magne Quiritum :  
Diuitis Anna comes deliciumq̄ tori.  
Terquina postquam fecit te prole parentem :  
Lucinæ in medijs occubuit manibus.  
Rex ne fle, indulxit quæ natis Anna creandis,  
Non aliter uoluit quam pariendo mori.

#### ALIVD.

Anna puerperijs Regum clarissima mater  
( Per quam tot Reges, sceptra tot orbis habet.)  
Occidit heu : terras pariens hominesq; reliquit:  
Et felix magnum s̄titur ante louem.  
Tot Regum altrici Reginæ Iuppiter almæ  
Præmia si exoluat debita : pauper erit.

#### ALIVD.

Debita fœcunde dent ut dīj præmia matri :  
Non satis est cœlum : non louis aula satis.

#### ALIVD.

Terræ Reginis & Regibus Anna creatis ;  
In cælos it nunc : an genitura deos ?

## ALIVD.

Repleuit terras ubi, diuum iussa secuta;

Multiplici felix Anna puerperio.

Cœlum adit exultans partu, terrasq; reliquit :

Repleuit terras : replete Anna polos.

## ALIVD.

Excidit ut gremio soboles, obit optima mater:

Nascitur hæc mundo : nascitur illa Deo.

## ALIVD.

Mortem olim & uitam discordes iunxit in ipso

Anna puerperio, funere facta parens.

## ALIVD.

Exiret uacuum tempus ne fœtibus ullum :

Luce sub extrema cum cadit Anna, parit.

## ALIVD.

Anna parens fœcunda, tori ne muneris hora

Vlla sit immunis, uult pariendo mori.

## ALIVD.

Quæ Reges olim fœcunda tot edidit Anna:

Ne in morte accuses, & moriendo parit.

## ALIVD.

Dum parit, egregijs quæ terras Regibus implet :

Regina in medijs nixibus Anna perit.

Vna quot d̄ luctus toti fert litera mundo :  
Damna quot et lachrymas, dū parit Anna, perit.

### ALIVD.

Nascitur in partu Regina atque occidit uno,  
Iunxerunt cunis inuidia fata rogum.  
Coguntur lætari oculi : & simul importuna  
Non expectati funera flere mali.  
Gaudia cum luctu, cum pullo purpura iuncta est :  
Lætandum & flendum est (sic tulit hora) simul,

### ALIVD.

Altera cunctorum uictrix, uicta altera nulli;  
Mors atq; Anna graues conseruere manus.  
Abstulit hæc vnam, terquinas illa reliquit  
Nixu animas: utrius, gloria martis erit :

### ALIVD.

Difficili fessam ex partu mors tristis adorta est  
Annam: nunc Annam uincere tempus, ait :  
Quam non integrum potui, aut superare ualentem :  
Non fuerit fœtam uincere difficile  
Partu ægram superat : thalamo fixamq; reliquit :  
Non casura aliter tanta uirago fuit.

### ALIVD.

Lanificam ut Lachesim uidit sua fila legentem  
Anna : colum & calathos euoluisse suos.

Hæc contra fata est : formosam enixa puellam,  
Pro me, quam tollis, accipe parca aliam.

#### ALIVD.

Cogitat Anna suo solamen linquere Regi :  
Vidit ut extremum fata minata diem.  
Prolem ergo egregiam supra in luce reliquit :  
Difficili nimium fracta puerperio.  
Non adamasse uirum, non obseruasse, quis aiat ?  
Quis Regem dicat non coluisse uirum ?  
Cætera prætereat si, quæ dedit optima coniunx ;  
Iu morte eximum pignus amoris habet.

#### ALIVD.

Magna laboranti debetur gratia matri :  
Laudeq; digna sua est, quæ pariendo perit.  
Gratia sed maior Reginam, & summa secuta est ;  
Laus Annam : contra quæ pereundo parit.

#### ALIVD.

Pontificem in sacris occumbere rebus honestum est :  
Pastoremq; suos inter obire greges,  
Pugnando miles, deuicto strenuus hoste  
Dux, cadere egregiam ducit uterq; necem.  
Non in delicijs, aulq; tectus & ostro,  
Quam sub Marte graui malit uterq; mori.  
Non nauta oppetere in medijs optauerit aruis :  
Grata est mors madido quæ uenit uda mari.  
Si pulchra est mors cuiq; suo de munere : pulchrū est  
Ergo mori matrem matris in officio.

## ALIVD

Verum si colimus, quo conditur Anna sepulchro;  
Hic bona dicemus omnia, & Anna iacent.

## ALIVD.

Illa, qua terris Annam mors abstulit, hora  
Virtutes omnes occubuisse puta.

## ALIVD.

Hic iacet Anna : simul uirtus hic conditur omnis ;  
Mors simul herentes soluere non potuit.

## ALIVD.

Hic, qua non melior, qua non formosior ulla,  
Anna iacet : qua nec sanctior ulla fuit.  
Egregiam cum mors speciem, & sacra uiderat ora ;  
Miror crudeles non tenuisse manus.

## ALIVD.

Reginam cum mors Annam truculenta petiuit ;  
Missura audaci spicula sœua manu.  
Crediderim a cede auertit sua lumina:coram  
Nam tantum ne esset ausa ferire caput ?

## ALIVD

Tristis ad Augustam cum mors accesserat Annam,  
Armata iaculis in mala damna manu.  
Credibile est, facie iaculatam spicula uersa :  
Nec coram infandum sustinuisse nephas.

Nam quem non esset species diua illa morata?  
Iratas poterat quę cohibere feras?  
Vera ergo facie telum iecisse necesse est:  
Siue illud potius mors, puto, cæca fuit.

### A L I V D

Vis Rex, uis patres, uis Austria lugeat omnis?  
Verbo si dicas, occidit Anna, sat est.

### S A R M A T I S.

Occidit Elisabes mater, Regina Quiritum:  
Exemplar sancti & regula coniugij.  
Reginæ unde omnes, quæ sint sua munera, discant:  
Quid deceat, quid non, quęlibet inde petat.  
Est Reginarum toto usquam quicquid in orbe,  
Vna omnes huius uita docere potest.  
Curauit priuata: uiro sua sceptra reliquit:  
Ille suum tenuit munus: & illa suum.  
Hanc ego Reginam sed quid tibi Sarmata laudo?  
Filia nota modo cui fuit Elisabe.  
Qui nosti Elisabem, potes inde ediscere, qualis  
Mater erat: cuius filia talis erat.

### A N N A

Non mihi mors mors est: facilis iactura salutis.  
Mors Ferdinando Rege carere mea est.

### A L I V D.


Danubius me flet: Tyber, Istula, Rhenus, Iberus:  
Cum quibus & ganges, si sciat, indus erit.




Seu dux, seu Rex es: seu, qui regit omnia, Cæsar:  
Qualis ego, falcem demito, talis eris.  
Sed mihi nec falx est: sic me finxere poetæ  
Carmine, sed nec sum: sic quoq; tu nec eris.



Excusum Cracoviæ anno post Christum natum  
M; D; XLVII; Mense Februario  
Diebus liberalibus;





6489

2

